

P. d. 314^a

Vol. ~~10~~ Fr 5392

Ant:

III. C. 19.

Th. hist. R. III, 57. 748.

Zy. wa.



Hoc in volumine sequuntur

1. Acta conventus Thoruniensis celebrati Anno 1645. Varsaviae
2. Scripta Reformatorum in conventu Thoruniensi Romano. Catholicis exhibitae ac in protocolum non admissa. Berolini. 1650.
3. Jülsmann's Misshology der Eulstürper, Relation vom Colloquio zu Thorn.
4. Rheinische Disputation inter D. P. Habernornium et V. Magnum Pöfel 1652.
5. Calixti annotationes in confessionem Ref. Thorunii in colloquio Lectam.
6. Hülsemanni iudicium de precedenti scripto Calixtino.
7. De hodiernis statibus ecclesiarum in Anglia Wallia Scotia et Hibernia 1654.
8. Tres propositiones ab G. Hr. Ernesto Hassia Landgravo factae 1652.
9. Quibus ab Landgravo in Pöfel fuit in D. Calixtum, Crocium, Jübnerum
10. - - - - - in D. Calixtum besondert. Eöln 1652.
11. Briefe Erbs d'urf u Lubring Lempsicht 1651.

Zy. Wk.



8
TRES PROPOSITIONES
THEOLOGICAE

A B

ILLVSTRISSIMO ET CELSISSIMO

PRINCIPE

ERNESTO

HASSIÆ LANDTGRAVIQ̃ &c.

Reinfelsæ ante aduentum P. VALERIANI Theologis
Augustanæ Confessionis Darmstadinis
factæ, illorumque responsiones,

Et iterata ad illos postulata.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud ANDREAM BINGHIVM

In Laureto.

Anno M. DC. LII.



Vm Illustrissimus & Celsissimus

Princeps ac Dominus Dominus Ernestus Hassiæ Landgravius Petrum Habercornium Theologiæ Doctorem & Professore[m] Haslo-Darmstadinum in Academia Gifensi, vnâ cum Doctore Calixto & Crocio ad Conuentum Francofurtensem vocasset, in aulâ verò Darmstadinâ iudicatum fuisset non è re fore, si D. Habercornius illuc mitteretur (cuius rei causa suo loco relicta hic non discutitur) accidit, vt nihilominus Dominus Landgravius Georgius aliquoties per literas declarauerit, si Agnatus suus Dn. Landgravius Ernestus vellet Doctorem Habercornium Reinfelsam vocare, tum illi iam mādatum esse, vt se sistat, & cum Principe æquè ac cum P. Valeriano colloquatur. Iteratum id deinceps fuit ea propositionis in hanc rem demonstratione, vt Landgravius Ernestus sepositis tantisper aliis occupationibus permotus fuerit ad vocandum D. Habercornium missa in eum finem rhedâ, qua vectus, vnâ cum Balthasare Menzero, Theologiæ Doctore, & M. Georgio Euerardo Happelio (de quibus Principi alias nihil constabat) Reinfelsam venit. Aberat tunc forte P. Valerianus, propria ob negotia Coloniae degens, vnde ob ingentes aquarum exundationes, neque terrestri neque alio itinere progredi poterat. Princeps Ernestus verò interea varios sermones de religionis negotio cum Theologis habebat, qui cum plures alias occupationes causati, ingenti desiderio tenerentur domum redeundi, voluit Princeps, ne tempus per absentiam P. Valeriani inaniter periret, per modum tantum interscenii sequens scriptum die 6^o Decembris illis offerre.

16

Quod D. Habercornius à nobis vocatus, non tantum ipse comparere, sed & sua sponte duos adhuc alios Augustanæ Confessionis Theologos D. Mentzerum & M. Happelium sibi comites adiungere voluerit, officium nobis eâ in re præstitit gratissimum, vnde haud dubie nobis patere potuit, Agnati nostri Domini Landgraviæ Georgii tum & trium istorum Theologorum sententiam aliam non fuisse, quam vt nos, vtpote in summo periculo salutis constitutos, pro viribus exinde eripere, & in rectam æternæ beatitudinis viam ducere niterentur, ostensâ nimirum verâ fide, sine qua nemo Deo placere possit. Idem autem nobis scopus præ oculis fuit, in literis quas ad Theo-

A 2

logos

4
logos Francofurtum vocatos dederamus. Ad quatuor etiam à nobis
propositas quæstiones breuiter & dilucidè à tribus Capucinis, tum
& à Darmstadinis Theologis iam responsum est, illoque ordine &
deinceps pergendum erit, quamprimum P. Valerianus, solà nunc Nu-
minis vi & aquarum exundationibus præpeditus hûc aduenerit.
Quod autem à Darmstadinis Theologis iam postulamus non id eo
animo fit, vt capto operi quicquam derogari velimus, sed vt interea
dum Valerianus aut alij è Catholicis Theologis hic compareant, tan-
tillum temporis amicæ & beneuolæ disquisitioni impendamus, quæ
nostro quidem Iudicio rectius in scriptis & breuiter facienda erit, eui-
tatis inde in commodis, quæ ex mutuis colloquiis oriri solent. Prout
autem trium Darmstadinorum Theologorum eruditionem & dexte-
ritatem magni facimus, ita nullum nobis est dubium, quin ipsi, tum
& omnes alij quibus hæc videre continget, consilium nostrum æquo
animo sint probaturi, nec in cuiusquam præiudicium interpretaturi.
Plus enim quam par est de nobis præsumere non volumus, vtique
cum pro Theologo nos non venditemus, gnari tenuitatis nostræ, &
Christianæ tantum informationis cupidi. Quandoquidem igitur
trium istorum Theologorum Darmstadinorum cura in eo vertitur,
vt pro salute nostra solliciti esse velint. Iphis autem notum sit, nos non
in Lutheranorum Augustanâ confessione, sed in reformatæ religio-
nis cætu educatos, præterea persuasum illis certò sit, Reformatos
Theologos, in fundamentalibus æternamque salutem destruentibus
articulis errare, prout ore atque corde hoc ipsum Darmstadini Theo-
logi publicè & sine tripedatione hic professi sunt, ideo arbitramur eos
nullo modo credituros se scopum suum assecutos esse, nisi prius nos
ad puram Lutheranorum religionem (qualem ipsi vocant) perdu-
xerint, nec enim minus nobis periculum æternæ damnationis impen-
dere putant, in reformatorum cætu, quàm in Ecclesia Romano-Ca-
tholicâ. Reformati quidem in controuersis cum Lutheranis nullos
his fundamentales errores impingunt, ita vt absque opinionis abiur-
ratione quam de S. Eucharistiâ habent (prout ex Charentonicâ Sy-
nodo id liquet) eos ad communionem admittant. vnde nobis quo-
que persuasum erat, puræ Lutheranorum confessioni addictos, idem
facturos, studio præsertim concordiæ tantoperè vtrisque necessariæ.
Porro cum vtrique cætus tam Lutheranorum quam reformato-
rum, eandem regulam fidei, sacram nempe scripturam solam profi-
teantur,

teantur, eamque in rebus fidei claram afferant, & nulla sibi inuicem concilia, decreta Pontificum, & traditiones non scriptas obijciant, credentes nimirum se pariter extra tenebras Papatus (prout loquuntur) in luce Evangelii ambulare: multo verosimilius videri posse illos ex utrinque agnito iudice controuersiarum, sacrâ scilicet scriptura, protinus infallibilem in dubijs sententiam perspicue demonstrare posse. Quamuis itaque Lutherani suis e partibus præsupponant, iudicem istum controuersiarum, verum nimirum intellectum Sacræ Scripturæ (quæ reuelata Dei voluntas est, penes se perspicuum & euidentem esse, atque ex illo principio contrarias reformatorum sententias condemnent, Reformati tamen Theologi id neutiquam concedunt nos quoque ipsi, utpote inter hos enutriti, pro nostra tenuitate affirmare non possumus, reformatos hæc in re se pro conuictis à Lutheranis habere. Ut autem in negotio tanti momenti nobis à Darmstadinis Theologis aliquatenus satisfiat, humaniter expetimus, ut in scriptis Latinè & Germanicè quam potest fieri breuissimè respondeant, &

1. Ex nullo alio fundamento quam ex S. Scripturâ sola, expressis vel equipolentibus verbis, aut deductâ inde legitimâ consequentia discrimen monstrent, unde secerni possit quinam sint fundamentales fidei articuli, præ tam multis aliis in Sacra Scriptura reuelatis rebus.

2. Ut illos fundamentales reformatorum articulos breuiter denominent, atque ex Sacra Scripturâ dilucidè nobis illos pro fundamentalibus probent, ut non tantum nos, sed & quibus alii etiam simpliciores, à talibus fundamentalibus erroribus nobis cauere possimus. Reinfellæ ⁶ Decemb. 1651.

Eodem die, & tribus tantum horis postquam scriptum id circiter nonam ante meridiem exhibitum fuisset, veniebat P. Valerianus cum binis aliis sui ordinis, ideo in aliud tempus responsum differendum erat, dum Darmstadini Theologi negotia & incumbentia sibi munia prætendentes nunquam non dimissionem suam & Licentiam domum redeundi vrgerent. Pauci igitur dies ille cœpto cum Capucinis Patribus negotio erant merito dandi cuius rei progressus, & quid tam in scriptis, quam inter colloquendum actum fuerit, publicis typis Latino & Germanico sermone diuulgatum est. Theologi verò jam domum reduces, ad propositas à Principe Ernesto quæstiones, per litteras die ¹⁵ Decemb. ita responderunt.

Dum Celsitudinis Tuæ binas nobis in scripto propositas quæ-
 stiones relegimus, primam quæstionem iam tum in actionibus quæ
 Reinfelxæ Capucinis cum nobis intercessere, ventilatam reperimus,
 ac à nobis ad illam plenè responsum esse, quamobrem nos illuc meri-
 to referimus. Secundam quæstionem quod attinet sapius ad instans
 Celsis Tuæ postulatam ore tenus demonstrauius. Reformatos
 in articulis de S. Cœna, de æterna prædestinatione vel reprobatione,
 de personâ Christi &c. fundamentales errores habere, quemadmo-
 dum ij in S. Scripturâ secundum proprium & fundamentalem intel-
 lectum, perspicue inde patentem, nobis describuntur: Nihilomi-
 nus autem & in Papatu ingentes & periculosos errores in fundamen-
 to esse, qui non tantum præter Sacram Scripturam sed & contra il-
 lam foueantur, de capite nimirum Ecclesiæ, Papa, S. Cœna sub vna
 specie, Missa, inuocatione Sanctorum, veneratione imaginum,
 in qua sententia constanter adhuc persistimus. Giesæ $\frac{15}{25}$ Decembris
 1651.

Petrus Haberkorn D.
Balthasar Mentzerus D.
M. Georgius Eberhard Happel.

Illu-



Illust. mus & Cels. mus Princeps

Landgravius Ernestus, qui cæteroquin de Darmstadinorum Theologorum eruditione non exiguam habuit opinionem, summoperè miratur, & in rationes disquirens comprehendere planè nequit, quo modo ad tam alienam, & scopum planè deserentem responsionem deuenerint. Longè certè rectiorem, & negotij momento conuenientiorem declarationem expectasset ab illorum candore, quo hætenus vsi sunt.

Responsio ad priorem quæstionem, an in actionibus quæ Reinfelsæ cum Capucinis habitæ sunt, inserta reperiatur; quilibet haud difficulter perspiciet. Neque enim ibi aliud est, quàm quod subiungitur: *Quoniam vera Ecclesia fundata esse debet super fundamento Prophetarum & Apostolorum, quod est Iesus Christus, ideo omnis illa doctrina, qua necessariò ad illud, iuxta S. Scripturam, pertinet, pro fundamentali haberi debet. Qualia dogmata omnibus ad salutem scitu necessaria, Catechismus in se complectitur. V. G. de lege, simbolo Apostolico, Oratione Dominica, Baptismo & Eucharistia; Quod si quis hæc pertinaciter reiicit, aut veram de ijs doctrinam contumaciter impugnat, re ipsa à vera Ecclesia separatus est. Controversia, si qua mouentur fundamentum salutis concernentes, in illis Christiani à suis pastoribus, ex S. Scriptura, rectè informari debent, quo sibi à falsa sententia, omni studio caueant, inque vera fide sinceri vsque ad finem permaneant. Cæteroquin reliqua, qua in S. Scriptura comprehenduntur, sine salutis iactura ignorare, non verò pertinaciter pernegare licet.* Principis Ernesti quæstio petit ex S. Scriptura sola, expressis vel æquipollentibus verbis, aut deductâ inde legitimâ consequentiâ, discrimen monstrari, vnde secerni possit, quinam sint fundamentales fidei articuli, præ tam multis alijs in S. Scriptura à Deo reuelatis rebus. In allata verò responsione nihil reperiri potest, ex S. Scriptura vel expressis aut æquivalentibus verbis, vel deductâ inde legitimâ consequentiâ; vnde id liceat secernere, quod erat petendum. Agnoscitur, Ecclesiam esse fundatam super fundamento Prophetarum & Apostolorum, quod est Christus Iesus. Agnoscitur, omnem illam doctrinam, quæ necessariò ad illud fundamentum, iuxta S. Scripturam, pertinet, pro fundamentali habendam esse. *Sed vnde secerni debet, iuxta S. Scripturam, qua doctrina ad illud fundamentum necessario pertinet? Hoc fuit declarandum ex sola S. Scriptura, expressis vel æquipollentibus*

lentibus

lentibus verbis, aut deductâ inde legitimâ consequentiâ. Quod cum non tentauerint Theologi, nihilominus dicunt, *ad illam questionem plenè responsum esse.* Credebatur futurum, vt non aliud pro alio responderetur; sed, quod res postulabat, plana & apertissima declaratio, ex S. Scripturis exhiberetur. Videntur autem Theologi magis ponderasse quæstionem, vt opportuna occasione eam expedirent: sic enim mitissimè explicandum quod factum est; pleniorque satisfactio primâ occasione præstolanda. Dicunt Catechismum complecti dogmata omnibus ad salutem scitu necessaria: in quo non dissentiunt vel à Reformatis, vel à Romano-Catholicis, V. G. Legem, symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, Baptismum & Eucharistiam, agnoscentibus, credentibus, amplectentibus. Asserunt Romano-Catholici, asserunt Lutherani, asserunt Reformati; si quis ista dogmata contumaciter rejicit; eum reipsâ à vera Ecclesia separatum esse, Sed vrget Principis Ernesti quæstio; *Vnde secerni possit, quinam sint fundamentales articuli?* non subsistens in nudis verbis, quæ ab omnibus admittuntur: vrgens verò genuinum verborum sensum, & veram de articulis necessariis doctrinam, quam si quis contumaciter impugnerit, re ipsa à vera Ecclesia separatus sit, & salutem obtinere non possit. Vbi cum expectaretur lumen esse adferendum ex sola S. Scriptura verbis expressis & æquivalentibus, aut legitimâ inde deductâ consequentiâ; ad aliud digredientes Theologi, dicunt; *Controuersia si que mouentur, fundamentum salutis concernentes, in illis Christiani à suis pastoribus, ex S. Scriptura, rectè informari debent, quo sibi à falsa sententia, omni studio capeant, inq; vera fide sinceri vsque ad finem permaneant.* Poterat hic suboriri dubium, ad quos Pastores fiat remissio à Theologis Lutheranis: at nō vult Princeps hic indagare, à quibus petenda sit informatio circa eiusmodi controuersias; sed insistendo quæstioni rursus petere; *Vnde secerni possit, quinam sint fundamentales articuli?* Nam & de reliquis, quæ S. Scriptura comprehenduntur, & quæ sine salutis iactura ignorare, non verò contumaciter pernegare licet, in præsentia non agitur, nisi in quantum distinguuntur à necessarijs.

Responsio quoque ad alteram quæstionem Cels. mi Principis Ernesti nihilò magis satisfacit. Quamuis enim Darmstadini Theologi de his & similibus rebus inter epulas sermones habuerint: Cum duobus quoque Reformatis Prædicatoribus Fabricio & Wernero, de præsentia corporis Christi in S. Cœna, de Baptismo in casu necessitatis &c,

9
tis &c. disputauerint: & Reformatis palam in os exprobrauerint, illos in fundamentalibus erroribus hære: debuissent tamen Cels. mo Principi Ernesto ad propositas scripto quæstiones, prout postulauerat ex S. Scriptura satisfacere; neque ad res nunquam actas sese referre.

Admiratio autem subit non exigua; quomodo Theologi Lutherani inter fundamentales errores Reformatorum computent articulos de æterna prædestinatione, & de reprobatione; cum illi articuli in designatis, per ipsosmet Theologos, articulis necessarijs non reperiantur. Vel igitur non plena erat articulorum omnibus necessariorum designatio; vel plura continet, quàm extrinsecus pateat.

Cæterum, quod dicunt Theologi, errores Reformatorum esse fundamentales, *Quemadmodum ij in S. Scriptura secundum proprium & fundamentalem intellectum, perspicuè inde patentem, nobis describuntur*; id nudè asseritur; non autem probatur: Cum tamen necesse esset ex S. Scriptura liquidò demonstrare, quid requiratur & sufficiat ad errorem fundamentalem; ac deinde ex eadem S. Scriptura euidenter ostendere, errores Reformatorum esse fundamentales.

Quilibet partium studijs non immoderatè addictus, facile iudicabit Darmstadios Theologos ad quæstiones sibi propositas necdum respondisse; nec vllam in scriptis probationem exhibuisse. Multis hæc oborietur cogitatio, quod rem ipsam tangere non præsumperint; vt qui conscijs essent doctrinæ domesticæ, in materia de articulis necessarijs plurimum vacillant. Certò etiam sibi persuadet Princeps Landtgravius Ernestus, Theologos illos, nisi admittant alicuius Ecclesiæ auctoritatem infallibilem, sese extricare non posse. Ex abundantia tamen, & ex Christiana humanitate ergà Darmstadios Theologos; tum etiam ad assequendum scopum, quo per istarum quæstionum solutionem multis lux aliqua oriri possit, Princeps Ernestus iterum ab illis exposcit, vt si cordi illis est Lutheranarum Ecclesiarum & proprius honor, ad præmissas quæstiones, vti ante hæc postulatum fuit, sincerè, apertè, & perspicuè respondeant,

B

deant,

deant . prout vocationi ipsorum congruum est , & numeri quod assumpserunt : nisi malint eo ipso toti Imperio declarare , apud Lutheranos non suppetere , vnde istis quæstionibus satisfiat.

Cæterum , vt exactè ad singulas respondeant quæstiones , non grauabitur Princeps Ernestus mentem suam super iisdem explicare . Declarent ante omnia ex S. Scriptura discrimen , vnde secerni possit , quinam sint fundamentales fidei articuli , præ tam multis alijs à Deo in S. Scriptura reuelatis : atque inde ostendant , ex sententia Ecclesiæ Lutheranae , hos & illos articulos , in tali aut tali sensu esse necessarios ; conuenienter factæ ex S. Scripturis declarationi ; ita vt simul pateat , quis sensus non sit omnibus necessarius ; cum alioquin fieri nequeat , vt exactè distinguantur necessaria à non necessariis : quaque distinctione non habitâ , fieri nequit , ex sententia Lutheranorum , vt qui solidè diiudicet inter Ecclesiam veram & falsam ; vel certò intelligat , quinam iustè per anathema separentur . Ad alteram quæstionem determinarunt aliquot errores fundamentales Reformationum : Superest , vt declarent quemadmodum in S. Scriptura errores fundamentales , secundum proprium & fundamentalem intellectum , perspicuè patentem , nobis describantur : Atque vltiùs ostendant , erroribus Reformationum , descriptionem errorum fundamentalium ex S. Scriptura petitam conuenire . idque tam clarè , vt quiuis alij etiam simpliciores ; à talibus fundamentalibus erroribus sibi cauere possint .

Porro , quia visum est iisdem Theologis Darmstadiensibus errorum fundamentalium Ecclesiæ Romano-Catholicæ meminisse , atque asserere , in Papatu ingentes & periculosos errores in fundamento esse , qui non tantum præter S. Scripturam , sed & contra illam foueantur , subiungit Landgravius Ernestus & hanc quæstionem , ad quam vt breuiter & solidè respondeant , enixè rogantur .

3, *Vt ex sola S. Scriptura expressis aut equipollentibus verbis , vel legitima inde deducta consequentia probent vnum solum errorem fundamentalem Ecclesiæ Romano-Catholicæ , ex illis , quos ipsi designarunt .*

Confidit

Confidit autem Illustrissimus & Celsissimus Princeps omninò futurum, vt Theologi Darmstadienses citra vllam acerbitatem de singulis respondeant: atque apertissimè declarent, quid ipsi cum Ecclesia Lutherana sentiant; id enim tum nobis gratum, aliisque erit iucundum: tum ipsis pro honore suo, & studio veritatis necessarium.

Colonia die 22. Januar. M.DC. LII.

ERNESTVS Hassiæ Landtgravius.





154687

AB 154687


TA 902


ULB Halle 3
002 701 456



VD 17







8
TRES PROPOSITIONES
THEOLOGICAE

A B
ILLVSTRISSIMO ET CELSISSIMO
PRINCIPE

ERNESTO
HASSIÆ LANDTGRAVIO &c.

Reinfelsæ ante aduentum P. VALERIANI Theologis
Augustanæ Confessionis Darmstadinis
factæ, illorumque responsiones,

Et iterata ad illos postulata.



COLONIAE AGRIPPINÆ,
Apud ANDREAM BINGHIVM
In Laureto.

—
Anno M. DC. LII.

